



Nf. 24.



ANTIQUA
RELIGIOSORVM
IN
GERMANIA INSTITVTORVM;
ET
STVDIORVM RECTIO-
RVM VESTIGIA
EXTANTIORA.



am.

Ulls publice dicitur ab h. v. s. t. l. s.
GYMNASIIORVM & INDIQVIA OPERA
Scholasticorum h. v. s. t. l. s.
et h. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.
loq. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.
h. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.
h. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.
h. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.
h. v. s. t. l. s. h. v. s. t. l. s.

COMPTON
CORNELIO KRIMERS
LENAE BRISLE ORIENTALIS QVINDANTIOVA COMITVM SEDE
HAYNO





- I. *Sermonum sub lustrationis initium habendorum argumenta oratorum patria conuenientia, BONIFACIVS, HAYMO, RABANVS MAVRVS.* II. *Bonifacii merita singularia de Frisia :* III. *de alijs Germania regionibus : rerum hic gestarum celebritas pluribus scribendi materia.* IV. *Germanice historie vetustioris documenta Bonifacii acta : Letzneri studium eorum excutiendorum suspectum, defensum : commendata aequitas, & modestia in iudicando de veterum studijs, meritisque.* V. *Centuriatorum iudicia equioni de Bonifacio vna? contrariorum causa autoritas Balei.* VI. *An Bonifacius Antichristi mancipium, diiudicatum ex verbis epistolarum, & mandatorum Pontificis ad Thuringos, & Saxones?* VII. *Merita Haymonis de Halberstadensi diocesi : laus eius singularis :* VIII. *Rabani Mauri studium rei scholasticae patriae vicine opportunum, & fructuosum ; ac ciuilius cultus causa. Pro huius perpetuitate vocat. publica.*



JUssis publice dicere sub **ILLVSTRIS** GYMNASII recensum, & incipientem operarum scholasticarum inspectionem, cum monerentur, vt patriae quisque suae non minus, quam instituto solenni conueniens argumentum deligerent, placuit, qui praecipui fuerint suis ciuibus sacrorum Christianorum, & curatioris cultus humani, ciuilibusque disciplinae cultores, memorare, & eorum persequi merita in exemplum. Talis visus est

BONIFACIVS
CORNELIO REIMERS,
ESENA, FRISIAE ORIENTALIS OPPIDO, ANTIQVA COMITVM SEDE,
oriundo:

HAYMO

HAYMO

HEINRICO SALOMONI DONDORE,

IN HALBERSTADIENSIS DIOECESIOS VICO, DANSTADIO,

NATO:

RABANVS MAVRVS

IOANNI DANIELI EHRHARDT,

GOTHANO.

Statuerunt itaque, quæ ad patriam quisque suam pertinere crediderunt, sanctorum illorum virorum salutaria instituta, religiose, & sapienter dicta, nec non facta præclara in veterum monumentis peruestigare, et representare pro concione scholastica, quicquid pia, & recta studia prouocare, animosque iuuentutis ad imitandum conatus sanctiores accendere posse videretur. Quod pro captu quisque suo facere adgressi audent publice, & sub oculis summorum virorum exponere, quæ ad sanctioris litteraturæ vsum commendari posse ipsis visâ sunt tantorum exemplorum autoritate, atque demonstrare

primus,

quam ad BONIFACII exemplum deceat sanctiorum litterarum studiosos, & professores, conuertere studia sua ad rem CHRISTIANAM inter gentes barbaras amplificandam?

alter,

quam laudabile sit, imitari HAYMONIS in diuinis scripturis interpretandis, & illustrandis diligentiam?

postremus,

quam non indigna fuerit summo ecclesie antistite, RABANO MAVRO, impensior rei scholasticæ cura?

K 2

H. Cur

II. Cur Frisio BONIFACIVS celebrandus visus sit, qui vulgo Germaniæ vniuersæ ad Christum conuersæ pater, & apostolus iactatur, causa non adeo obscura, vel damnanda videtur. Efferentem ex patria, Anglia, pedem, suoque consilio, nec adhuc imploratis curiæ Romanæ auspiciis, ingressum verbi diuini inter barbaros propagandi curriculum, illa excepit regio, spectauitque primos eius conatus. strenue aduersus difficultates laborantis, quas abhorrens a Christianis sacris rex Frisonum, Radbodus, post afflictas (a) Francorum regis, patroni sacre religionis, opes ei obiecerat. Eadem regio vidit post fata tyranni reducem, & Romani præfulis autoritate munitum, apud se verbi diuini semina spargere, plurimos ab errore idololatria retrahere, ingentem populum Domino in Frisia predicando acquirere, & monasterium construere: quæ veteris scriptoris de altero Bonifacii in Frisiam itinere verba (b) sunt. Denique in eadem regione cum Germaniam, Galliasque nominis, & factorum, institutorumque religionum gloria impleuisset, pro magnis meritis, ritu excellentium hominum, acerba fata passus, impetuque, & armis paganorum oppressus (c) excessit e vita. Atque adeo primum, vltimumque piorum, & gloriosorum operum campum Frisiam habuit a bonis factis BONIFACIVS, alias *Winfriidus*, appellatus.

III. Cæterum non minore iure, suum esse, contendere posse videntur, Bonifacium aliæ Germaniæ regiones, & loca, Bauaria, Franconia, Thuringia, Hassia, Eichsfeldia, Moguntia, studiis, & religionis eius institutis illustrata, & vltima propter Bonifacii merita, summorum principum, Carolomanni, & Pipini, autoritate metropolis facta, & sedes archiepiscoporum: quo nomine & dignitate ille primus est honestior foret, decreuerunt iidem principes, ecclesiam Moguntiacensem, quæ prius alteri subiecta erat, metropolin omnium in Germania positarum ecclesiarum officere: moxque legatione facta illud a præfule Apostolico impetrare. Certe eam his terris, & Germaniæ partibus lucem attulerunt res gestæ Bonifacii, vt qui nostra ætate historiæ patriæ illustrandæ manum iniecerunt, primasque ciuilioris cultus, & sacrorum Christianorum originis persequi instituerunt, præcipuum negotium sibi dari crediderint, quæ ad Bonifacii vitam, factaque pertinent, diligentissime colligere

(a) Othlo apud Serarium de reb. Mogunt. Libr. III, c. 3, p. 334 (b) l. c. cap. 14, p. 338 seqq.
 (c) ibid, c. 26, p. 428, (d) ibid, c. 44, p. 370.

ligere, & iustis voluminibus repræsentare; tanquam superiora tempora in silentio & obscuritate essent relinquenda. Documento sunt Letzneri, (e) & Spangenbergii (f) commentarii de Bonifacio, nec non Sagittarii antiquitates gentilissimi, & Christianismi Thuringici, vnus Bonifacii memoria excutiendæ impensus tractatus. Idem Serarius (h) facit, fateturque verbis disertis: *Huius Moguntiacarum rerum scriptiois mihi secundum Deum pro ra, & puppis S. BONIFACIUS*. Nec temere Spangenbergius commentarium, quem BONIFACIVM inscripsit, historiam appellat ecclesiasticam, siue commentationem de progressu Christianæ religionis in Thuringia, Hæssa, Franconia, & Bauaria, ab aⁿno 1000 ad annum 1000. Et quanquam Sagittarius contendat, ante Bonifacium excitatum fuisse in Thuringia Christianæ religionis studium, nec recte Bonifacium Thuringorum apostolum nominari, præcipuas tamen suæ sententiæ rationes ex illis ipsis monumentis depromit, quibus Bonifacii res gestæ descriptæ sunt.

IV. Et vnde extantiora, & luculentiora documenta vetustioris historiæ patriæ peteres? Frustra Serarius, Letznerum suæ sectæ fauere, & a catholica veritate, quam suis tribuit, non alienum suspicatur, quod extollit Bonifacium. Rerum, & historiæ patriæ studiosissimus vir cur dudum de patria tam præclare meritum non iustis celebraret laudibus, & tantum daret veritati; etiamsi vitii alicuius, vel erroris, aut imperitiæ eundem recte arguant alii? Humanum est errare, vel labi; præsertim in actu rerum magnarum, & apparatu maiorum: in quem magna, & diuiniore instinctu agitata ingenia perpetuo coniciuntur. Accidit id summis ecclesiæ luminibus, temporibus adhuc melioribus: nec ex vilo occurrit aⁿno sine n^o insigni doctor populû Christiani celebrior. Quid a Bonifacio expectare poteramus ea tempestate, qua a prisca integritate multum deflexerat res Christiana, grauesque inualuerant corruptelæ, quibus vel ipsa consuetudinis deprauatio lenocinabatur, & exemplorum autoritas luadem conciliat, vel veniam? Atque ipse Serarius agnoscit, humani aliquid passum Bonifacium, & diserte (i) scribit, inter ipsum, & sanctos alios viros a Diabolo excitatam discordiam. Addit violatum ab eodem suspicione Papam, Zachariam, exprobratam ei videlicet Simoniam, & accepta pro palliiis pretia. Et nihilominus eundem, quibus potest, cumulat laudibus.

X 3

Ita

(e) edit. Erfurti in 4. 1603. (f) Smalkald. in 4. 1603. (g) Ienæ in 4. 1685. (h) libr. III. in 1. p. 318. (i) ibid. p. 318.

Ita & Letznero licuit salua euangelicæ veritatis professione historico stylo persequi veteris doctoris merita de patria, & eiusdem parcius tangere vitia, virisque theologis liberius, & copiosius ea notanda, & culpanda relinquere. Non inepte Antonius Pagius, Pontificius (k): Nullus sua laude fraudandus: quod tam de scriptoribus Orthodoxis, quam Protestantibus intelligi volui. Neque enim existimandum, veritatem, & eruditionem hereticas esse, vt periculum sit, iis adherere, quæ a viris doctis, catholicam fidem non proflentibus, accurate scripta sunt. Multo minus sua laude fraudandi sunt veteres scriptores, denegandumque est piis factis, & salutaribus institutis iustum pretium, quod æui sui vitio, & publicis moribus ablati ad ea delapsi sunt, quæ aduersariorum nostrorum errorum patrocinia parere possunt. Nec existimandum, æquitatem, & modestiam in dicendo de vetustate sententia conicere in periculum probandi veterum placita omnia, tam a prima, & apostolica Christianæ religionis integritate, quam nostræ fidei ratione aliena.

V. Vti velle videntur ista moderatione in iudicando de Bonifacii virtutibus, vitiisque, recte, secusque factis CENTVRARIATORES: certe fatentur, (l) cum Deus propter contentum veritatis, piorum vexationem, & improbitatem, Asiæ, Africæ, & Egypti populis relictis, & Sacænorum impotentia traditis, nouos in Europa, & Septentrione conuiuas misis legatis ad nuptias vocaret; sed, post semina, & fundamenta regni Christi in Germania iacta omnia tardius progredierentur, excittasse tandem DOMINVM VVinfredum, a Romanis dictum Bonifacium, cum collegis Gregorio, Lullo, Megingolo, Vuilibaldo, Sturmio, Vuigberto, & Burchardo: & Pipinum, & Carolum, reges & pietate, & virtute prestantes, ad ecclesie sue in Germania propagationem; & opus manuum eorum ipsum gubernasse, & promouisse. Nec pauca recte facta, & pia instituta Bonifacii diserte memorant: (m) exercitum ab ipso munus docendi, maximo quamuis præfule; gentilium errores refutatos; multos ad fidem conuersos: taxata vitia, & scelera, principum etiam virorum, nec non sacerdotum: inculcatam omnibus pietatem: commendatum sacrarum litterarum studium: curam afflictiorum; & periclitantium: sacramenta ab ipso administrata: preces pro conuersione gentilium factas: alios ad eandem incitatos: discipulos institutos: pia responsa ad propositas quæstiones: e. g. ad illam: an liceat adhibere ligneis calicibus administrare sacra? Olim fuisse ligneos calices, & aureos sacerdotes; iam vero esse ligneos sacerdotes, & aureos calices: consilia aliorum in rebus dubiis

k) Præfat. in Crit. in Annal. Baronii n. 8. (l) Cent. VIII, c. 11. col. 10, (m) ibid. c. X, col. 794. sq.

dubiis expetita: libros in pretio habitos: templa, & monasteria condita: ordinatos episcopos: ecclesias in dioceses distributas: synodos celebratas. Ita sentiunt de Bonifacio, factisque eius laudati CENTURIATORES, quamdiu patriæ historiæ monumentis inhærent, & domesticorum scriptorum fidem, & autoritatem in æstimandis Bonifacii meritis sequuntur. At vero dum ipsis nec Balei, Anglici scriptoris, de hoc ciue suo iudicium prorsus negligendum videretur, ex eius *scriptorum illustrium maioris Britannia Catalogo* (n) bona Bonifacii famæ contraria multa recensent. A quorum iudicio dum præter supra laudatum Letznerum pauci abeunt posteri: non est mirum, in recentioribus de historia ecclesiastica doctorum virorum commentationibus pro magnis meritis Bonifacium insigni laborare infamia, explodi eius recte facta omnia, damnariq; instituta non mala. Adeo iustum etiam odium corruptelarum, quibus vltima tempora sedata sunt, & his fauentis sectæ, obtare potest recto de veterum studiis, factisque iudicio, si tempora male compares, & proximæ tempestatis ingenio metiaris auum vetustum.

VI. Nec Baleus, credo, Bonifacium ministrum, & mancipium Antichristi fuisse, arguisset, si, quid agere iussus fuerit a Gregorio II. tunc Pontifice Romano, & quid egerit, ex monumentis authenticis didicisset. Sane mandatorum, & epistolarum exempla, quæ Othlo ex Vuilibaldi de Bonifacio commentariis conseruauit, & aliæ ad ista tempora pertinentes scripturæ fide dignæ non exhibent Antichristi vocem, nec Antichristi ministri, vel mancipii actum. Scripta ad Thuringos Pontificis epistola (o) testatur, fratrem Bonifacium ad eos missum, *ut debeat fidem Christi docere, & ab errore ad viam salutis deducere, non pro lucro aliquo temporali acquirendo; sed pro lucro animarum: iubet recedere a malis operibus, & ecclesias facere, ubi debeant orare, ut Deus ipsis indulgeat peccata, & donec vitam perpetuam.* Quam idem Pontifex ad Saxones scripsit, epistola (p) testatur sollicitudinem pastoris pro his, qui verbum exhortationis fidei IESU CHRISTI susceperunt, *ut consentiant corda, instructa caritate, & in omni plenitudine sapientia: iubet, quicumque susceperunt Christum IESUM, in ipso ambulare, confirmatos in fide, abundantes in gratiarum actione; exspoliare veterem hominem, inducere nouum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem, ut Christus habitet in illis? aut quodcumque fecerint in verbo, aut in opere, omnia in nomine IESU CHRISTI faciant, gratias agentes Deo patri per ipsum, orationi instantes: ad ipsum Dominum cor erigentes.* Non sunt

(n) Basileæ Fol. 1577. cent. II. p. 103. (o) apud Serarium de reb. Mogunt. Libr. III. p. 147.
(p) ibid. p. 343.

sunt hæ Antichristi voces: nec Bonifacium *maucipium*, sed *conferuum* in Domino, & *coepiscopum* subinde appellat. Mandatis talibus acta, & res gestæ Bonifacii, quemadmodum respondeant, dum in hac tabula non licet, ostendet declamator: vnde constabit, detestandane sint; an imitanda sanctioris litteraturæ studiosis Bonifacii studia, consilia, instituta, opera; & expetenda fata?

VII. Quid patriæ suæ non minus, quam vniuersæ rei Christianæ profuerit HAYMO, orator alter excutiet, & cum in finem representabit, vt ad similia studia; quibus ille floruit, quæ præcipue in noscendis, intelligendisque diuinis scripturis versata sunt, non se ipsum minus, quam commilitones suos excitet. Ceterum, quæ ad huius præfulis noticiam pertinent, quamuis pauciora sint, huius tabulæ tamen modus non recipit; ab oratore autem publice enarrabuntur.

VIII. Nec RABANI MAVRI, qui Fuldensis cœnobii, & scholæ a Bonifacio conditæ, antequam huius successor Moguntia factus est, insigne lumen, & decus fuerat; nec non e barbarie sua adhuc eluctantis ad cultum ciuiliorem Germaniæ dux & autor præcipuus, commemorare hic studia, & merita licet. Quid florentissimæ eius litterariæ officinæ vicinus hic patriæ terræ tractus debeat, alibi ostendi; & postremus orator exponet vberius? Par est, antiqua hæc religiosorum in Germania institutorum vestigia, & prima cultus ciuilis patrii rudimenta ita recognoscere, vt pro munere diuino, maioribus dato, per varias temporum iniurias conseruato, & ad præsentis æui vsum, sub SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM vmbra, & auspiciis egregie aucto, & amplificato publice nos gratos profiteamur, & vt perpetuum illud sit, conceptis votis exposcamus. Qualia dum sub solennia recensus, & delectus ILLVSTRIS GYMNASII initia, suis sermonibus adiicient supra laudati oratores, tres classis Selectæ alumni notæ melioris: ad hos audiendos vt frequentes conueniant, idque crastino die hora VII. ante meridiem,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI PATRONOS,

ET FAVTORES,

quæ per est, obseruantia

rogat

RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P. P. GOTHÆ LITTERIS RETHERICANIS,

619.1366 XV, IXL, XXVIII.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78







ANTIQV
 RELIGIOS
 IN
 GERMANIA INSTI
 ET
 STVDIORVM
 RVM VEST
 EXTANTIO

publice hanc ad libellu
 LIO RIMERS
 2 QVIBDANTVA COMITAMSEDE
 onndor
 HAYNO

